





1742,5  
FACVLTATIS JVRIDICAE  
DECANVS,  
**HENRICVS MELCHIOR**  
**SCHÜTTE,**  
PHILOS. ET J. V. D.

MEMORATÆ NEC NON PHILOSOPHICÆ FACVLTATIS  
ASSESSOR ET PROFESSOR POLITICES PVBL.  
ORDINARIVS,

L. B. S.

---

ERFORDIAE,  
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGIL,  
Acad. Typogr.

FYCALATIS JAVRIDICAE  
D E O A N U S  
H E R C U L A N U S M I C H A E L  
S C H U L T E  
B I O N A D  
W I N G E R T A C C O L I N D E R H E C T A C C I T A R  
A E R S O G H E W O T T O R U S T I C E R B A K  
O R D I N A R Y  
I F S

---

R E C O D I A Z  
A T T L O H C H R I S T O P H O R I H E R I N G E R  
A C T T L O G E



**C**arcer a coërcendo dictus est locus, in quo homines a Magistratu custodiuntur, ne fugam capessant, ac ab objecto dividitur in civilem & criminalem. In causis civilibus nemo regulatiter, nisi ex certis & prægnantibus rationibus, v. g. si debitor non solvendo & fugæ suspectus sit, in carcerem conjicitur. Carcer vero criminalis est frequentior, & vocatur mala mansio, l. 15. §. 41. ff. de injur. l. 7. pr. ff. depos. & propter ejus squalorem, inediam, frigus, teñeras, & cruciatus species torturae esse dicitur, atque morti comparatur c. §. 41. l. 23. C. de punit. Si qua ergo in re, in hoc maxime circumspectos esse oportet magistratus, ne reum temere in carcerem & vincula conjiciant. Quare de custodia reorum Proconsul olim aestimare solebat, utrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda, vel fidejussionibus committenda, vel etiam sibi l. 1. ff. de custod. & exhibit. reor. Primus modus locum sibi vindicare solet, si judici constat, non tantum grave scelus esse admissum, sed etiam carceri

( 2

carceri mancipandum per indicia & conjecturas probabiles ac verisimiles hujus delicti reum esse. In persona tamen levi leviora sufficiunt, at in honestiore graviora requiruntur indicia, quæ cauti judicis relinquenda sunt arbitrio. Alter modus in personis honestioribus & in dignitate constitutis in primis delictis non dum confessis neque de eo convictis observatur. Erant autem rei vel in libera militari custodia, quando a militibus quidem asservati non tamen per vincula aut catenas iis allegabantur l. 2. C. de exactor. tributor. quam gratiam a centurione Paulum impetrasse, videtur a<sup>et</sup>. apostol. c. ult. vers. 16: vel in custodia militari non libera, cum extra carcerem duobus militibus tradebantur, ac utrique catenis alligabantur: vel denique in custodia adstrictissima, cum in ipso carcere duobus alligati militibus, asservabantur, cuius rei exemplum in a<sup>et</sup>. apostol. c. 12. vers. 6. in Petro Apostolo deprehendimus. JO. VOET. commentar. ad Pand. libr. 48. tit. 3. §. 10. Ali quando tamen reum uni commissum esse militi eadem catena cum reo alligato HEINECCIVS in elem. jur. civ. sec. ordin. Pandectar. eod. tit. §. 168. in not. comprobatum dedit. Tertium modum constituit fidejussio. Fidejussor enim accipi potest, si ex delicto agatur civiliter, vel criminaliter quidem, sed ad penam pecuniariam: sin agatur ad penam corporis afflictivam, cum nemo membrorum suorum sit dominus, & delicta suos debeant tenere autores, fidejussor commode accipi nequit. Nonnunquam tamen etiam in delictis, in quæ poena corporalis est statuta, fidejussor de judicio sibi admittitur. Quartus denique modus est, ut reus sibi, i. e. suæ fidei, religioni & promissioni, eique

eique vel nudæ vel juratoriæ, suadentibus ita circumstantiis, committatur. LAVTERBACH. colleg. theoretico-pract. libr. 48. tit. 3. §. 16. Quia tamen ratione procedendum sit, si quis in ea culpa vel crimine fuerit deprehensus, quo dignus claustris carceris, & custodiæ squatore videatur, auditusque apud acta, cum de admisso constituerit, poenam carceris sustineat, docet l. 2. C. de custod. reor. in qua iuxta seu iteratum judicium, cuius mentio in l. 6. ff. de custod. reor. & in act. apost. cap. 25. vers. 26. fit, præcipi, JAC. GOTHOFREDVS in commentar. in l. 2. C. Theodos. eod. tit. censet. Quam legem cum interpretibus crucem figere soleat, lectione cursoria explicabit ac illustabit.

NOBILIS ATQVE CLARISSIMVS  
JVRIVM CANDIDATVS,

D O M I N V S

# JOANNES CHRISTIANVS *Kaulfuss.*

Natus ille est Plaviæ Variscorum, die 25. Decembris, Anni Millesimi Septingentesimi. Patrem habuit FREDERICVM Kaulfuss, dictæ Civitatis Plaviensis Praetorem & demum Pro-Consulem, qui anno 1723. vitam eum morte mutavit, Matrem CHRISTIANAM SOPHIAM, JOANNIS HEIFFELI, Theologi gravissimi ac Superintendentis Plaviensis, filiam, anno 1713. pie defunctam. Parentibus hinc semper fuit curæ, ut ad bene beataque vivendum, & ad publicæ rei usum Candidatum nostrum educarent; hinc ab ineunte ætate cum commiserunt privatæ institutioni FRANCKII,

Scholæ Plaviensis tum Collaboratoris, postea Collegæ tertii, cuius in fidei christianæ principiis, in bonarum artium rudimentis, & in morum probitate, doctrinæ perspicuæ & fideliſſimæ multum se debere profitetur. Fundamentis jam dictis imbutus Lyceum, quod in patria urbe floret, adiit, & IRMISCHII Cantoris, LANGII & PETRI, Con-Rectorum, præcipue BIRCKHAHNII Rectoris, viri, dum viveret, humaniores disciplinas, bonosque mores, cum singulari animi continencia docendi arte excellentis, scholas publicas privatasque frequentavit. Temporis etiam & futuræ utilitatis rationem habuit, & modi in judiciis procedendi cupidus, Parentis manuaditione usus, variis elaborationibus, quibus in exercitio jurisdictiōnis a diversis feudorum possessoribus ipſi mandatae opus erat, operam dedit. Tandem oratione valedictoria, in qua verum Jctum describere conabatur, in Lyceo Plaviensi habita, in Academiam Lipsiensem se contulit, & almæ hujus Philureæ albo M. Octobri 1719. insertus, Gottfr. Polycarpum MÜLLERUM Prof. Publ. Extraordinarium, Philosophiam docentem; in Jurisprudentia vero Ge. Ad. SCHUBERTH & PHILIPPI, Institutiones, LAURENTIUM Struvii Jurisprudentiam, OLEARIUM Pandectas, BAUERUM Jus feudale, RIVINUM Processum, & MASCOVII Jus publicum explicantes auscultavit, publicis etiam RECHENBERGII ad jus civile, & MENCKENII ad jus Canonicum prælectionibus interfuit. Præterea primo loco nominandum censet HILIGERUM, Scabinatus Regio-Electoralis Assessorem, cuius singularia beneficia in se collata nulla gratiarum actione satis unquam prædicare valet, siquidem mox, cum

cum Lipsiam ingressus esset, benebole illum excepit,  
vitæ & studiorum subsidia per multos annos illi sup-  
peditavit, & veram juris scientiam ad usum forensem ap-  
plicandi viam variis modis demonstravit. Ut denique  
studiis suis sibi & aliis inservire potuerit, exercitia di-  
sputatoria privata sub moderamine PETERMANNI, in-  
stituit, & an. 1725. sub præsidio KÜNHOOLDI, Gymna-  
sii polemici Menckeniani disputationes, & responden-  
do, & iterum iterumque opponendo, in publico au-  
ditorio ventilavit, postea ab Illustri JCtorum Lipsien-  
sium ordine, ut ad examen pro Praxi admitteretur,  
anno 1726. decenter petiit, quo peracto, & aliis con-  
suetis speciminiibus exhibitis, à summo Regimine Pro-  
vinciali Regio-Electorali Saxonico numero Advocato-  
rum d. 9. Januar. 1727. adscriptus est, nec non anno  
præcedente officium Notarii Cæfarei publici, quod  
Amplissimus Senatus Lipsiensis, vi Comitivæ Cæsa-  
reæ, ipsi concessit, in universis Electoratus Saxonici ter-  
ris exercendi facultatem impetravit; ex quo tempore  
causis in foro orandis, quantum quidem vires vale-  
bant, operam dedit, simulque in diversis pagis jurisdi-  
ctionis administrationem suscepit. Tandem nostro or-  
dini desiderium suum summos in utroque jure capes-  
sendi honores exposuit, &, ut ad consueta admittere-  
tur specimina inauguralia, modeste petiit. Textus igi-  
tur ex utroque jure tam Canonicò quam civili ante  
examen rigorosum explicandos, cum eo communicaví-  
mus, quos docte non solum resolvit & enodavit, sed  
& in ipso examine talem se nobis probavit, ut unani-  
mibus suffragiis dignus judicatus fuerit, cui cathedra  
juridica aperiretur, & desiderati, honores decernerentur.

tur. Crastina ergo luce die XX. hujus mensis, recitatione solenni, quam lectionem cursoriam vocant, in vexatam l. 2. C. de custod. reor. commentabitur, eademque finita, dissertationem inauguralem.

DE  
**CARCERE DIVTVRNO POE-  
NAM CRIMINIS TEMPERANTE.**

sine Praeside tuebitur. Ad quos actus solennes Magnificus Dom. Rector nec non reliqui Academiæ nostræ proceres ac cives, ea qua par est observantia & humanitate invitantur. Publ. sub Sigillo Fac. Jurid. Dom. XIII. post Festum Trinitat. die XIX. Aug. A.O. R. MDCCXLII.



ERFURT, Diss., 1742/44



UD78





1142,5

FACVLTATIS JVRIDICAE  
DECANVS,  
**HENRICVS MELCHIOR**  
**SCHÜTTE,**  
PHILOS. ET J. V. D.

MEMORATÆ NEC NON PHILOSOPHICÆ FACVLTATIS  
ASSESSOR ET PROFESSOR POLITICES PVBL.  
ORDINARIVS,

L.B.S.

---

ERFORDIAE,  
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,  
Acad. Typogr.